MIGNONA

2

Quousque tandem abutêre, Catilina, patientiâ nostrâ? quamdiu etiam
furor iste tuus nos eludet? quem ad finem sese effrenata jactabit au-
dacia? nihilne te nocturnum præsidium Palatii, nihil urbis vigiliæ,
nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic mu-
nitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora vultusque move-
runt? Patêre tua consilia non sentis? constrictam jam omnium ho-
rum conscientiâ teneri conjurationem tuam non vides? Quid proxi-
ma, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid
consilii ceperis, quem nostrûm ignorare arbitraris? O tempora, o
mores! Senatus hæc intelligit, consul videt: hic tamen vivit. Vi-
vit? immo vero etiam in senatum venit: fit publici consilii particeps:
notat et designat oculis ad cædem unumquemque nostrûm. Nos au-
tem, viri fortes, satisfacere reipublicæ videmur, si istius furorem
ac tela vitemus. Ad mortem te, Catilina, duci, jussu consulis, jam-
pridem oportebat: in te conferri pestem istam, quam tu in nos omnes
jamdiu machinaris. An vero vir amplissimus, P. Scipio, pontifex ma-
ximus, Tib. Gracchum, mediocriter labefactantem statum republi-
cæ, *privatus interfecit: Catilinam vero, orbem terræ cæde atque
incendiis vastare cupientem, nos consules perferemus? Nam illa
nimis antiqua prætereo, quod Q. Servilius Ahala Sp. Melium, nobis*

MARCUS TULLIUS CICERO ARPINATENSIS ORATOR

ATQUE LATINAE ELOQUENTIAE PATER AC FACILE PRINCEPS.

TORINO